

LVNÆ DIE 22 M. AVGVSTI A. 2005

A.d. XI Kal. Septembres a. MMV

I 27

M E L I S S A



FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA

AVSPICIIS DOMVS ERASMIANÆ ET ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ
SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS
Gaius Licoppe

COMPOSITRIX
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.
Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.llicoppe@skynet.be / <http://users.skynet.be/Melissalatina>
Bureau de dépôt : 1040 Bruxelles 4 / Afgifte kantoor 1040 Brussel 4

NORMANNORVM VESTIGIIS INGREDIENTES...

Francisca egoque mense Iulio in Italiam meridionalem profecti sumus, ubi in Apulia Symposium Sallentinum institueramus. In itinere, inter alias, stationem fecimus in montis Gargani oppido, quod Itali hodierni vocant *Monte Sant Angelo*; ibi in profunda spelunca conditum est clarissimum Archangeli Michaelis sanctuarium, quod momentosum est in historia Medii Ævi et spectat ad thema generale Symposii, quod fuit « de rationibus inter Orientem et Occidentem ».

Ineunte decimo sæculo, Vikingi (*Sinuum incolæ*) vel Normanni (*Viri septentrionales*) medianam partem litoris septentrionalis Francogalliae occupant; Carolus Simplex, rex Franciæ, cum eos propellere non valuerit, pactum cum eis facere cogitur, quo regionem sibi servant inde Normanniam vocatam; ad religionem christianam se convertunt atque eorum dux Rollo fit regis vassalus. Normanni christiani facti patronem sibi eligunt Archangelum Sanctum Michaelem; hic enim sanctus bellatoribus placet, cum habeatur caput militiæ cælestis. Quamobrem non solum Sancti Michaelis sanctuarium in minima insula ad Normanniæ litus situm amplificare et ornare non desinunt, sed etiam peregrinationem facere incipiunt ad Archangeli Michaelis sanctuarium sub monte Gargano ad litus Hadriaticum situm et tunc clarissimum.

E Normannis piis peregribus multi in Italia manent; alii, domum reversi, ad populares suos referrunt de locupletibus oppidis maritimis Apuliae, de continuis contentionibus inter Langobardorum principatus et de debilitate Byzantinorum in Apulia et Calabria. Sic pietati substituitur divitiarum cupiditas; ibi tantum ardet Normannorum ferocitas, ut incolæ in ecclesiis misericordiam Dei implorent: « A furore Normannorum libera nos, Domine ».

Saturni die 23 m. Iulii nos pervenimus ad « finem terræ » Apuliæ, i.e. ad promuntorium Sanctæ Mariæ Leucadis. Ibi, sub pharo, est deversorium Maris Stella, quod noster amicus Sallentinus Ælius Nestola exquisivit pro nostro Symposio. Inde patet pulcherrimus pros-



Prospectus Leucadis e deversorio nostro.

pectus ad litus saxosum et portum celicum. Conclavia sunt lauta. Locus certe non convenit eis qui æstum tolerare non valent, sed contra optime eis, qui cælo sereno et sole semper splendente gaudent.

Postero die exspectabantur triginta participes ex Germania, Hispania, Italia et Belgica oriundi, nullus infeliciter ex Francogallia; nemo etiam venit ex orientibus Europæ regionibus, quamquam Italiae locum maxime orientalem elegeram ad eos alliciendos. Fere omnes participes iam advenerant, cum hora quinta postmeridiana incohata est prima sessio. Singulis tunc licuit se ceteris præsentare. Inter eos erant septem discipuli Belgæ: sex e collegio Flandrico, ubi docet Christianus Laes, et unus e Schola Nova, cuius regentes Stephanus Feye et Carolina Thuysbaert etiam aderant. Gaudebamus etiam quod plures quam solito participabant magistri linguam Latinam docentes, inter quos Nico De Mico, Academiæ Latinitati Fovendæ secretarius.



Participes media in docta disputatione.

Symposio nostro intererant homines peritia Latine loquendi impares; in greges ergo dividebantur. Doctor Christianus Laes sub divo in umbra loquelam exercebat adulescentium et complurium adulorum, quibus placebat eius docendi modus.

Ceteri in magnum oœcum congregabantur; antemeridiano tempore mecum disputabant de Symposii themate. Cur in occidentalî institutione scholari despicitur Imperium Byzantium, etsi usque ad tertium decimum sæculum fuit arx invicta nostri cultus civilis in Oriente? Cur, a tempore quo Carolus Magnus novum imperium in Occidente condidit, Latini Occidentales gradatim facti sunt hostes implacabiles Græci imperii Constantinopolitani? Cur et quando inter Latinos et Græcos ortæ sunt dissensiones de doctrina christiana? Cur christiani et mahometani pacifice coexistere numquam potuerunt? Hae sunt præcipua quæstiones de quibus disputatum est, allatis documentis, in corona



Grex tironum una cum Christiano Laes.

participum miræ eruditioñis. In fine sessionis antemeridianæ in album proiiciebantur et explicabantur imagines Sallenti, quin etiam villæ Horatii Flacci.

De quæstionibus tractandis etiam factæ sunt quinque acroases, quæ habebantur in initio sessionis postmeridianæ. Primam fecit Ælius Nestola, qui totam Sallenti historiam a Messapiis usque ad duodevicesimum sæculum scitissime adumbravit ; singulis particibus distribuit textum permultis imaginibus multicoloribus illustratum et in codicem formatum.

Sallentum, partis Apuliæ nomen, est terra ubi decursu sæculorum intricatissimæ fuerunt rationes inter Orientem et Occidentem.

Dominæ Dasso, mater et filia, duas acroases fecerunt de inclinatione Imperii Byzantini et de cardinale Bessarione, qui maximi momenti fuit in translatione Græcarum litterarum in Occidentem. Ego de Arabibus et de religione mahometana duas acroases feci. Quo pluribus innotescat quid in Symposio disputatum sit, textus et imagines, quantum fieri poterit, in sede nostra interretiali divulgabimus.

In altera parte sessionis postmeridianæ ad mentes relaxandas Francisca proponebat exquisitos textus legendos et explicandos.

Die Iovis facta est excursio, quam diligenter paraverat Ælius Nestola. Commoda autoræda longa vecti imprimis petivimus Hydruntum (v. *Otranto*). Maxime attractiva ibi est ecclesia cathedralis ætatis romanicæ ; eius pavimentum est ingens opus musivum octingentorum metrorum quadratorum, quo describuntur scænae ex Vetere et Novo Testamento, sed etiam e mythologia et historia deceptæ. In eius laterali abside ostenduntur ossa octingentorum martyrum Hydruntinorum ; qui, cum fidem christianam abiurare noluisserint, a Turcis anno 1480 obruncati sunt. Etiam visu digna est ecclesia Byzantina Sancti Petri, nono sæculo exstructa ; ibi supersunt partes picturarum, quibus parietes toti ornabantur.

Postea vecti sumus ad stationem balnearem iuxta lacus *Alimini* sitam, ubi prandium sumpsimus sive in capona sive ex sporta cibis potulentisque in deversorio nostro completa. Licuit in harena sub umbellis meridiari et in mari balneare.

Hora quarta et dimidia autorædam longam iterum descendimus, quæ nos Lupias (v. *Lecce*) duxit. Per vias ambulavimus, quibus ornatæ permultorum palatiorum



In excursione : explicationes Ælii Nestola.

frontes miram maiestatem conferunt. In hac urbe ubique floret typica ars baroca, quæ Lupiensis dicitur ; præcipua ecclesiæ inter se æmulantur luxuria ornationis barocæ. Sunt etiam præstantia vestigia ætatis Romanæ, ut theatrum et amphitheatrum ; iuxta amphitheatrum, in media platea principali, stat magna columna, quæ cum gemella in portu Brundisino ornabat viæ Appiæ scalas terminales ; Brundisini eam Lupiensibus olim dederunt. Quamquam post horam nonam in deversorium revertimus, affabiles ministri cenam nobis præbuerunt.

Celerrime transiit Symposii septima. Saturni die iam erat valedicendum ; Iohannes van Kasteel pro adultis et eius filius pro adulescentibus grata verba palam fecerunt, dum distribuuntur multa dona. Deinde ad cenam transiimus ; mensam epularem variis delicatisque cibis refertam nobis paraverant ministri, unde sibi quisque quælibet elegit, dum evolant magno cum fragore subera lagoenarum fervidi vini ab Italis *prosecco* vocati.

In reditu brevem stationem fecimus in Abbatia Ferigoletensi, ubi Feriæ Latinæ habebantur. Inter virginis sex participes plerique nobis erant ignoti, nonnullos tamen libentissime convenimus. Valde admirati sumus fortitudinem Iohannis-Claudii Champeau, qui, quamquam graviter ægrotus et debilitatus, suas Ferias una cum Maria Antonina Avich tamen regere voluit. G.L. ■■■


DE HORATII VILLA

- *scripsit Gaius Licoppe* -

*Dum loquimur, fugerit invida
ætas : carpe diem, quam minimum credula postero.*
(O. I, II)

De hoc Horatiano versu depromptum est illud « carpe diem », quod plerique æqualium nostrorum bene neverunt, non omnes tamen sciunt esse Horatianum.

Tempore Renascentiae homines eruditi, cum Horatii carminibus valde delectarentur, invenire cupiebant ubi sita esset eius villa, quam compluribus locis celebravit. In quibus locis leguntur nomina antiquorum locorum, Varia, Mandela, Ustica, Fanum putre Vacunæ, Mons Lucretialis, rivus Digesta et Fons Bandusiae.



Locus Tabulae Peutingerianæ, ubi invenitur Varia.

Medio sexto decimo saeculo, cum inveniretur Tabula Peutingeriana, ibi repertum est nomen Variæ. Hoc fuit tenue filum, quod investigatores ex Antiquitate ad Horatiana vestigia duxit. Primum compertum est antiquam Variam congruere cum hodierno Vicovaro.

Medio septimo decimo saeculo Holstenius suadet Horatii villam ædificatam esse in valle iuxta oppidulum *Licenza* (olim *Licentiam* vocatum) sita et rivum,



Antiquum iter Roma ad Horatii villam.

qui sub *Licentia* fluit, esse rivum, quem Horatius *Digentiam* appellat. In propinquo fons ubertim manat, qui manifesto congruit cum fonte *Bandusiae* ab Horatio citato.

Nomen *Mandelæ* decursu temporum factum est *Bardela*. Non longe a *Licentia*, iuxta vicum *Roccagiovine*, inventa sunt vestigia *Victoriæ* fani, quod restauravit *Vespasianus*; hæc congruere videntur cum Fano putri *Vacunæ*.

Primæ effossiones ad Horatii villa fundamenta detegenda anno 1760 factæ sunt a Barone de Saint' Odile in prædio c.n. *Vigne de S.Pietro*; sic apparuerunt muri opere reticulato facti et opera musiva. Quæ vestigia anno 1775 depinxit *Scotus* pictor Allan Ramsay. Anno 1780 clarus prospectuum pictor Jacob Philip Hackert circumiecta villa Horatianæ depinxit.

Anno 1911 Angiolo Pasqui, director Officii effossionibus in Latio faciundis, novas effossiones, petente *Licentia* municipio, incohavit, quas anno 1914 interrumpere coactus est.

Nonnullæ breves effossiones iterum factæ sunt inter annum 1930 et 1980, sed numquam methodus stratigraphica adhibita est.

Recentissime tantum, ab anno scilicet 1997, effossiones modo vere scientifico factæ sunt: « Horatianæ Villa Propositorum » una ineunt Americana Academia Romæ sita et *Soprintendenza Archeologica per il Lazio*. Non modo hæ effossiones sunt completæ, sed omnia antea inventa vel conscripta iterum examinata sunt. Sic renovata est notitia villa Horatii; docti iam non dubitant ibi re vera fuisse mansionem, quam Horatius viginti quinque annos maxime dilexit; fatendum tamen est nullum documentum in situ inventum esse, quo res possit sine ullo dubio comprobari. Scitu dignum est nullam domum cuiuslibet scriptoris saeculi Augusti adhuc repartam esse, præter hanc Horatianam.

Occasione suea vernalis sessionis, Academia Latinitati Fovendæ Saturni die 23 m. Aprilis excursionem instituit ad Horatii villam invisendam. Hic situs archæologicus re vera mihi erat omnino ignotus; ne citatur quidem in meo Cæruleo Libro Periegetico anno 1994 edito.


Post iter sexaginta circiter chiliometrorum ad Montes Sabinos, autoræda longa gregem nostrum exponit sub prærupto oppidulo *Licentia*, in quod pedibus ascendimus.

In summo oppidulo familia Orsini Borghese, olim totius regionis possestrix, suum parvum palatium ædificandum curavit. Illic, a vicesimo saeculo ineunte, condita sunt effossionum inventa; anno 1993, cum celebraretur Horatius ante duo millennia vita functus,



Museum Villæ Horatianæ in palatiolo Orsini instructum.

palatiolum factum est Museum Villæ Horatianæ. Quod museum invisimus, sed inique non licet photographare ; pauca ergo monstrare possum.



In museo exhibentur bæ duæ marmoreæ statuæ, quæ in ruinis quidem inventæ sunt, sed in balneis quæ tempore Horatii nondum exstabant.

Plura scimus de Horatii vita, quam de vita multorum aliorum scriptorum antiquorum. Horatii exemplo demonstratur apud Romanos etiam pueros humillima familia natos claros viros fieri potuisse. Horatii enim pater fuit publicus servus oppidi Venusiae, quæ erat colonia Romana in Apulia. Manu missus, Venusiae civis factus est atque nomen Horatii sumpsit, quia Venusiae incolæ ad tribum Horatiam pertinebant. Tunc factus est coactor, i.e. vir qui auctionum pecuniam colligebat ; malevoli tamen dicunt eum tantum fuisse sal-

samentarium. Filius ei natus est die 8 m. Decembbris a. 65 a.Chr., Q. Horatius Flaccus vocatus. Stultus non erat ille pater, qui non solum curavit ut ingeniosus filius Romæ educaretur ab optimo severoque magistro, sed postea eum in Græciam misit ut studia Athenis perficeret, id quod solum divites Romani iuvenes facere solebant. Hanc Atheniensem mansionem Horatius poeta in suis operibus memorat his verbis : « Atque inter silvas Academi querere verum » (Ep. II, 2, 45).

Infeliciter anno 45 hæc mansio bello civili perturbata est. Una cum ceteris nobilibus iuvenibus Romanis Athenis studentibus Horatius Brutum secutus est, a quo tantum æstimatus est, ut tribunus militum crearetur. Sed Brutus et Cassius anno 42 Philippis victi sunt ab Antonio et Octavio. Horatius tunc rem militarem abiecit et, venia a victoribus impetrata, scriptum quæstorium comparavit. Ex eo officio non magnum lucrum faciebat ; ipse scripsit hæc : « Paupertas impulit audax ut versus facerem » (Ep. II, 2, 51-52).

Ab anno 39 Vergilius et Varius, poetæ maiores natu, Horatii singulare ingenium perspexerunt ; quare eum Mæcenati commendaverunt, ad cuius amicorum coronam paulo post pertinuit. Inde etiam inter imperatoris Augusti familiares receptus est. Anno 33



Iuxta museum inscriptio in lapide incisa apposita est occasione celebrationis, qua anno 1993 commemorabatur Horatius ante duo millennia vita functus, i.e. die 27 m. Novembbris a. 8 a.Chr.




De valle, ubi ædificata erat villa Horatii, conspicitur præruptum oppidulum Licentia, quo in summo eminet quadrata turris palatioli Orsini.

Mæcenas ei dono dedit villam in Sabina sitam, quam multum amavit. Ipse scripsit :


« Hoc erat in votis : modus agri non ita magnus, hortus ubi et tecto vicinus iugis aquæ fons et paulum silvæ super his foret. Auctius atque Di melius fecere. » (S. II, 6, 1-4)

Ibi, longe a Roma, tam libenter morabatur, ut Mæcenas lamentaretur quod nimis diu ab Urbe abserset. Horatius veniam petebat, ut his versibus :


« Quinque dies tibi pollicitus me rure futurum, Sextilem totum mendax desideror. Atqui, si me vivere vis sanum recteque valentem, quam mihi das ægro, dabis ægrotare timenti, Mæcenas, veniam... » (Ep. I, 7, 1-5)



Hic partim ostenduntur parietinæ et horti area.



Hoc modo nobis fingere possumus Horatii villaæ aspectum ex latere. In recessu adspiciuntur isti « continui montes » de quibus Horatius loquitur.



Hic ostenditur mons Lucretilis ; certe tempore Horatii aspectum magis ferum præbebat et ædificiis carebat.

Lustrato museo, grex noster descendit in vallem, ubi ædificata erat Horatii villa. Pauca vestigia super sunt, plerumque solum parva pars inferior murorum. Archæologi, qui recentiores effossiones fecerunt, vide runt parietinas non pertinere ad ædificium uno tempore exstructum ; primum exstructa est villa, ubi vixit Horatius ; postea villæ additum est magnum balneum. Horatius fruebatur magno horto porticu circumdato. In medio horto erat magna piscina, verisimiliter ad pisces servandos apta.

Lustratis parietinis, ambulamus ad fontem Bandusiae, quem cecinit Horatius. Hodie non talis appetet, qualis olim fuit ; nam quinto decimo sæculo familia Orsini nymphæum exstruxit, in quod eius aquas direxit. Mirum in modum hic locus memoriam nonnullorum participum excitat, qui varia Horatii carmina recitare incipiunt.



Fons Bandusiae.

Post hanc poeticam delectationem, ad villam redimus ; sibi quisque sedem eligit in parietinis.

Coram participum corona, professor Curtius Smolak Vindobonensis acroasin, c.t. « Sub superficie », facit de Horatii Oda 22 libri I. Cur hanc odam elegerit, patefacit in acroasis exordio : « Inter eas odas Horatii, quibus melodiæ modernis temporibus subditæ sunt,

una, nempe celeberrima illa quæ incipit a verbis *Integer vitæ scelerisque purus*, cantu adeo mæsto instructa est, ut olim in funeribus celebrandis in usu esset. Qua re factum est, ut ea melodia anno millesimo octingentesimo undecimo a quodam medico Theodisco, nomine Friderico Ferdinando Fleming, composita brevique tempore notissima una cum ipso carmine in terris linguae Germanicæ in libros confœderationum virorum academicorum ad commilitones mortuos deflendos recipere tur... Tamen, si quis verba in fine poematis posita (*dulce ridentem Lalagen amabo, dulce loquentem*) respxerit, haud abnegabit illud ad luctus excitandos minime aptum esse... »

Postquam de hoc fuse iucundequa tractavit professor Smolak, valde delectati proximan cauponam petimus, ubi optimi cibi nobis præbentur, quales Horatius certe gustare non potuit... ■



Inter acroasin professoris Smolak.



Grex Academiæ inter parietinas Villæ Horatianæ.

FLOSCVLI ERASMI (VII)

« Brixiana anno 1508 »

– *quos proponit Alexander Vanautgaerden –*

Erasmus a fine anni 1507 aut initio anni 1508 versatur Venetiis, ubi primum impressurus est e suis egre-
giis operibus : *Adagia*, in officina Aldi Manutii. De
hac editione in *Melissæ* paginis iam actum est : vide
fasciculum 119, p. 8-9, in quo monstrata est typographi
epistula ad lectorem scripta. Hodie potius morari velim
in carminibus divulgatis sub finem secundi codicilli (f.
B 8 v°). Hæc tria carmina (unum Latinum, cetera
Græca) cecinit iuvenis tunc vix notus, Germanus
Brixius (*Germain de Brie*). Claros viros consideranti,
qui Aldi officinam eo tempore frequentant, mirum
videri potest adulescentem electum esse ad Erasmus
laudandum. Quod tamen Erasmo futurum erat verum
amicitiæ signum. Poeta noster, Antisiodori (*Auxerre*)
circa 1490 natus, Erasmus primum convenit cum esset
duodeviginti annos natus¹. Iuris peritus erat ; nescitur
utrum Venetiis famulus an solum hospes fuerit Iani
Lascaris, qui ibi legatus erat regis Francogalliae.
Venetias ante Erasmus relinquit petitque Patavium,
ubi apud Marcum Musurum studet, antequam Romam
profiscatur. Erasmus eum ibi iterum convenit atque
sic confirmatur amicitia², quæ sola morte interrumpe-
tur. Germanus Brixius tria epitaphia Erasmo dicabit ad
signandam amicitiam duodetriginta annorum³.

Idem poema Latinum anno 1520 iterum editum est
sub titulo *Erasmus* ; qua occasione auctor ipse nævos
indicavit iuuentuti tribuendos :

« Subiunxi⁴ et eos quoque, quos annos ab hinc duo-
decim Venetiis ad Erasmus Roterodamum pene adu-
lescens scripsi... hic (quod indiligentius aliquanto a
nobis id ætatis exciderant) per nos recognitos, & pau-
culis item versius ditatos. »⁵

Equidem censeo hos versus « patrioticos » habendos
esse pro responso dato epistulæ, quam Aldus
Manutius ad lectorem scrispsit. Atque mirum in
modum concordant cum ultimo adagio in hoc opere
publicato, « Auris Batava », Venetiis exarato : hoc ada-
gium unum est e scriptis non ita multis, quibus
Erasmus bene dicit suæ patriæ præterea satis vitupe-
ratæ⁶. Hi enim duo textus eo tendunt, ut vindicetur
aliqui « humanismus septentrionalis », et quidem de
rostris tunc temporis pulcherrimis : de Aldi Manutii
officina. Melissæ lectores hoc carmen comparare pote-
runt, quoad politicam affinitatem, cum verbis, quæ
Iohannes Froben in prima pagina *Adagiorum* a. 1513
conscriptis (vide *Melissæ* fasciculum 119, p. 9) : Germa-
nos doctos Venetianas editiones emendare valere...⁷

1. Duo humanistæ epistulas inter se primum commutaverunt anno demum 1517. In qua Germanus Brixius veterem commemorat amicitiam Venetiis olim contractam, tempore quo ipse linguam Græcam apud Ianum Lascaris discebat et quo imprimebantur *Adagia* ; cf. Allen II 569, l. 160-177.
2. Sic enim incohant litteræ ad Aldum die 9 m. Dec. a. 1508 Patavio missæ (Allen I 212, l. 1-2) : « Germanus suis incantamentis hic me remoratus est, alioquin ad iter iam accinctum. »
3. Ceterum Erasmus primas partes egit in amicis suis Thoma Moro Germanoque Brixio inter se reconciliandis. Disputatio erat de pugna navalı inter classem regis Angliae eamque regis Francogalliae die 10 m. Aug. 1512 facta. Germanus Brixius de ea paulo post parvum carmen epicum conscripsit c.t. *Chordigeræ navis conflagratio*. Thomas autem Morus derisit huius opusculi tumorem et errores historicos. Quas reprehensiones Germanus sero cognovit, cum a. 1518 Mori *Epigrammata* apud Iohannem Froben publicata sunt. Satis violenter regessit libello *Antimorus* conscripto, a. 1519. Hæc rixa duos annos occupavit orbem humanisticum. De hac re deque Germani Brixii bibliographia lege Hubert de Montmoret, Germain de Brie, Pierre Choque, *L'incendie de la Cordelière*, textes présentés et traduits par Sandra Provini avec une préface de Perrine Faland-Hallyn, La Rochelle, La Rumeur des Âges, 2004.
4. Erasmi laus coniuncta est alteri poemati olim conscripto in honorem amici eius Deloyne, cui titulus est *Deloynus* : Germani Brixij Altissiodorensis Poemata duo. Deloinus hendecasyllabis constans ducentis quadraginta. Itemque Erasmus hendecasyllabis constans centum, & quindecim. Venundantur in edibus M. Nicolai de Barra è regione Gymnasij Italici, [f. XII v°] : Letutiæ quarto Nonas Iunias. M. D.XX.J. Gratias ago Domina Perrine Galland-Hallyn, quod exemplar suum mihi benigne præbuit. Germani Brixii epistula ad lectorem scripta inveniri potest in commentarye hac : Perrine et Fernand Galand-Hallyn, « Recueillir des brouillars : éthique de la silve et poétique du manuscrit trouvé », in *Le poète et son œuvre. De la composition à la publication*, Actes du colloque de Valenciennes (20-21 mai 1999), ed. Jean-Eude Girot, Genève, Droz, 2004, p. 32-33.
5. Cf. Perrine Galand-Hallyn, « Quelques coïncidences (paradoxales ?) entre l'Epître aux Pisons d'Horace et la Poétique de la Silve (au début du XVIe siècle en France) », in *Bibliothèque d'Humanisme et Renaissance*, t. LXII n° 3, p. 609-639, p. 639 quod pertinet ad citatum.
6. Cf. O. Noordenbos, « Erasmus en de Nederlanden », *Bijdragen voor Vaderlandse Geschiedenis en Oudheidkunde*, 'S-Gravenhage, Martinus Nijhoff, 1936, p. 193-212 ; Johan Huijzinga, « Erasmus über Vaterland und Nationen », in *Gedenkschrift zum 400. Todestage des Erasmus von Rotterdam*, herausgegeben von der historischen und antiquarischen Gesellschaft zu Basel, Bâle, Verlag Braus-Riggenbach, 1936, p. 34-49 ; Aloïs Gerlo, « Homo batavus », *Ons Erfdeel*, Rekkem, Stichting Ons Erfdeel, 1975, p. 18-34 et Ari Wesseling, « Are the Dutch Uncivilized ? Erasmus on the Batavians and His National Identity », *Erasmus of Rotterdam Society Yearbook*, 1993, 13, p. 68-102.
7. Cf. James D. Tracy, « Erasmus becomes a German », *Renaissance Quarterly*, 1968, 21-3, p. 281-288 et Léon-E. Halkin, « Érasme et l'Europe », in *Commémoration nationale d'Erasme*, Bruxelles, Gand, Liège, Anvers : 3-6 juin 1969 : Actes = *Nationale Erasmusberdenking*, Brussel, Gent, Luik, Antwerpen : 3-6 juni 1969 : handelingen, Bruxelles, Bibliothèque royale, 1970, p. 81-101.

EPISTOLÆ ERASMI

Germani Brixii Antissiodoranensis ad Desyderium
Erasmus Roterodamum.

Dum tam cultus et eloquens Erasme es,
Et tam suaviloquo vales lepore,
Ut tu Nestora, cuius effluebat
Melle dulcior ore sermo, vincas.
Dum Graium simul, et simul Latinum
Spiras eloquim, et vales utroque,
Et nomen tibi vendicas utroque,
Sentit Mercurius, celerque virgam
Et talaria sumit, eque Olympo
Præpes devolat inferos ad orbes.
Et sedes nemoris petit beati,
In quo vivere per vireta amœna
Antiquorum animas pias putamus.
Qui Demosthena Tulliumque cernens,
Quos ambos Deus, alterum Pelasgis
Quondam tradidit, alterum Latinis,
Linguæ præcipuos ducesque summos,
Hos, ut eloquii Deum decebat,
Facunda ac nitida elocutione
Compellat : « Proceres quibus loquendi
Ius est omne datum, et quibus potestas
Externæ dare, vel negare genti,
Omni barbarie procul repulsa,
Vestra posse loqui eloquente lingua,
Scitis, ut Latio Atticove cælo,
Olim qui genitus procul fuisset,
Phœbo meque sororibus, novemque
Musis iudicibus, tacente Momo,
Dictus barbarus est et invenustus.
Tam non culta et inelegante lingua
Erat, cui Latio Atticove cælo
Longe nascier, educarierque
Fato nescio quo datum maligno.
Nec quisquam fuit hactenus repertus,
Vel post sæcula mille, barbarorum
Ex coetu numeroque vendicare
Suum qui genus ac suos mereret
Tali nomine, et elegantiore
Vestro cum grege copulare posset.
Illos usque adeo latere in umbris,
Et torpere vegravi iuvat veterno
Et contemnere se suumque nomen.
At Rheni licet ostium ad bicornis,
Sitque inter Batavos Erasmus ortus
Germanos prope Gallicosque fines,
Non sic desidia otiove inerti,
Non sic languidulo sopore torpet.
Sed quærens revocare se suosque
A situ et tenebris, et inter astra
Æternum patriæ parare nomen,
Inter continuus novem sorores,
Inter pierios sacrosque vates
Versatur, studioque pertinaci
Vestram amplectitur eruditioñem,
Vestram amplectitur elocutionem.
Sic utramque colit fovetque linguam,

Sic utramque valens sciensque lingua est,
Ut quicumque hominem audiunt loquentem,
Dum Græca loquitur canitque voce,
Doctas huic patriam putent Athenas,
Romano at genitum solo Latinam
Dum culto modulatur ore linguam.
Quid quod Delius et Minerva et omnis
Admirata cohors novem sororum,
Erasmi probat eruditioñem,
Erasmi probat elocutionem.
Nam quis doctior eruditioñem,
Quis vel cultior eloquentioñem,
Cui dum mellifluus venustulusque
Sermo stillat ab ore tam rotundo,
Ut quondam Pericli medulla suadæ
Summis sessitat insidetque labris.
Et circum veneres cupidinesque,
Et quicquid Charites habent leporis,
Et quicquid viget elegantiarum,
Applaudens tenero renidet ore.
Id quod si mage iudicare vultis,
Et testantibus approbare ocellis,
En quæ scripsit Erasmus ediditque,
Quæ plenam faciant fidem Latina
Quam prestat simul Atticaque lingua.
Quare si lubet, et meretur, idque
Vel causa duplici, negare Erasmo
Nolite in numerum venire vestrum.
Et vos huncque suosque patriamque
(Tandem nomine barbaro abrogato)
In gentis numerum approbate vestræ.
Et partim Latio, Atticoque partim
Natum sanguine non negatum Erasmus.
Nam vestigia qui probe suorum
Nihil degeneres patrum sequuntur,
Hos expellere et abnegare turpe. »
Vix hæc dixerat, annuisse cunctos
Cum vidit Deus, et probasse dicta,
Tum grates agit omnibus reditque
Læto sidereo volatu in orbes.
Et narrat superis Iovique summo
Causam lætitiae novæ petenti
Quæcumque egerat. At supremus illum
Multis laudibus efferebat ordo,
Et gaudens similisque gratulanti
Tanta lætitia polum replevit,
Ut vel nunc quoque gaudium supremum
Summi gaudeat aula summa regis.

Γερμανοῦ Βρηξίου τοῦ Κέλτου.

Ταῦτα παροιμιέων ἀμα συλλεχθέντα γε πασῶν
ἀνθεα σὺν μούσαις Φοῖβος ἴδων ἔλεγεν .
Εἴ ποτέ τις πασῶν, αὐτῇ δὴ βίβλος Ἐράσμου
Μῶμέ κεν ἐκφεύγοι τὴν σεῦ ἐπεσβολίην.

Τοῦ αὐτοῦ.

Χερσὶν ἐν ἀονίδων ταύτην ποτε βίβλον ἴδοῦσα
Παλλὰς ἔφη, μερόπων ὅια πόνος δύναται. ■

BEATRIX ET EIVS AMICI (IV)

SIVE DE VITA COTTIDIANA QVARTI DECIMI SÆCVLI

– *scripsit Francisca Deraedt* –

Si modum consideramus, quo pastoris Petri Maurini matrimonium est conciliatum¹, operæ pretium videatur querere quid matrimonium illo tempore habuerit ponderis.

Primum dicamus morum libertatem ineunte quarto decimo sæculo longe maiorem esse quam postea futura est. Historici enim aestimant decimam partem coniugorum tum fuisse illegitima², sed in propatulo, cum quatuor sæculis post huiusmodi concubini se in occultum summo studio abdituri sint, ne fulmen parochi rumoresve vicinarum suscipiant.

Ii, qui matrimonium non contraxerunt, sumptus fortasse vitare voluerunt. Nam matrimonium est res initio percara : non solum enim est ipsa cærimonia paranda, nova vestimenta emenda, populares invitandi, sed etiam, postea, uxor sustentanda alendique pueruli, qui parentibus per decem quindecimve annos magis erunt oneri quam auxilio. Nec dotem ab uxore allatam ad hæc omnia sufficere. Transactis tamen his primis annis, matrimonium felicitatem affert et divitias et securitatem, cum et filii laborent et uxor, senescente marito, bona fiat nosocoma. Uxores enim solent esse maritis multo iuniores, quo fit ut in vico Monte Alionis viduæ inveniantur, viduum nullum.

In hac quidem parceria tanta est industria matrimonialis, ut ne una quidem mulier ibi in perpetuum maneat cælebs. Matrimonium enim est instrumentum et finis vitæ socialis. Videamus quam egregie « sanctus vir » Belibasta complectatur huius regionis philosophiam. Belibasta, catharus cum sit, nullam habet causam cur matrimonii sacramentum extollat ; scit tamen rem esse necessariam neque ullam præberi spem, ut simplices homines aliquando perveniant ad absolutam castitatem, quam prædicat Albigensium secta – atque utinam ipse ascendere valeret ad hanc perfectionem ! Idem de hac re prosaicas, ut ita dicam, rationes proponit verbis lectu dignissimis, quæ magis pertinent ad sociologiam activam quam ad educationem moralem aut religiosam : explicat enim « æquale peccatum esse cognoscere carnaliter propriam uxorem, sicut et concubinam vel contubernalem. Tamen melius esse attendere ad unam certam, quam quando homo ibat ad diversas et bordoneiabat³ cum eis, id est habebat spurios vel bastardos ab eis, quia quando homo accedit ad unam certam, illa iuvat hominem ad tenendum bonum hospitium, sed quando accedebat ad diversas, quælibet eorum rapiebat vel accipiebat ab eo quod poterat, et sic homo depauperabatur per eas. Accedendo vero ad mulieres consanguineas vel affines, dicebat hoc malum esse et turpe factum. »⁴

Tali textu mens illius temporis optime demonstra-

tur. Imprimis incestum interdicitur, non solum cum consanguineis, quod intellegitur, sed etiam – securitatis causa ? – cum affinibus. Præterea semper peccatum est concubitus, sive fit cum uxore, sive cum alia. Tamen matrimonium est præferendum, tribus de causis. Primum ne nothi nascantur, qui nihil afferunt nisi opprobrium et sunt inutiles ventres pascendi. Deinde quia amica virum reddit pauperem, cum semper sive dona accipere velit sive ipsa pecuniam sibi arroget : amica fortunas rapit, uxor dotem affert. Denique quia uxor domum bene curat. Ergo matrimonio promittitur secura et prospera domus, res maximi momenti, cum domus illo tempore sit totus hominis mundus.

Cum res ita se habeat, bene intellegitur matrimonia in vico Monte Alionis non posse secundum solam cordis inclinationem statui. Nam domus prosperitas ad omnes spectat, omnesque suam habent promendam sententiam. Videamus Ramundam Beloti : ea postquam maritus nescio qua de causa est necatus, tres annos mansit vidua. Postea ad alias nuptias migrat, non proprio consilio, sed voluntate familiarium, qui negotium acriter tractant : patres, fratres, amitæ, consobrini, vicini, ipse parochus, multis habitis conciliis, ei postremo omnium consensu Arnaldum dant maritum. Longe tamen abest ut Ramunda adhuc sit tenera puella ! Nihilominus neque ei ullo temporis momento in mente venit novum maritum sibi, non ceteris, esse eligendum.

Mulier habet quidem sua commoda, id est dotem affert, domum purgat, pueros parit et senescentem curat maritum, sed in summa est res vilis. Hoc docet « sanctus vir » Belibasta, magister catharæ religionis, qui feminas usque eo contemnit, ut eis neget aditum cæli : « Mulieres numquam intrant quando moriuntur in gloriam paradisi », nisi post mortem earum anima (ergo animam habent, quod iam est aliquid : gaudete, dominae) prius subintret alicui corpori masculino – credunt enim metempychosin, ut postea videbimus.

Vilis ? Fortasse. Sed stulta, non. Mulier, cum est in suo regno, id est domi, habenas ita sæpe tenere valet, ut aliqui matriarchatus conspiciatur. Hoc accidere solet si absente marito deest filius, qui eius loco possit imperare. Fingamus in hac domo vivere generum : ille nihil dicendum habebit, dum neverca domum curabit. At postquam filia matri successerit, gener tandem dominus fiet, hac tamen condicione, ut uxor's nomen sumat. Similibus condicibus fit ut aliqua Guillelma, vidua facta, una cum duobus filiis domicilium mutet atque ad novam vitam signandam nomen proprium non solum resumet, sed etiam filiis, quamvis iam pæne adultis, tradat.

Quid autem de singulorum affectibus ? Ut iam vidimus, hi non multum respiciuntur in confessionibus ab inquisitore Iacobo Fournier collectis. Attamen post hominum memoriam nemo est, aut vix, qui lapidem loco cordis habeat. Duæ quæstiones hic menti occurunt. Amantne matres infantes suos ? Possuntne homines amore flagrare ?

Nonnulli historici autumant amorem, quo erga infantes afficimur, rem esse satis recentem, sub finem Medii Ævi et præsertim ætate moderna inter nobiliores ortam, cum humiliores minus commoti sint morte infantium illis temporibus consueta. Quod si verum est, quid tum cogitandum est de hac narratione : Serenæ cuidam, in rogo ut hæreticæ mox perituræ, domus est reliquenda ; « habebat » autem « unum puerum in cunis, et voluit eum videre antequam recederet, et videns eum osculata est ipsum, et tunc puer risit, et cum aliquantulum ipsa incepisset exire de loco in quo iacebat puer, iterum revertit ad ipsum, et puer incepit ridere, et sic frequenter factum est, sic quod non poterat dimittere puerum... »⁶ Inde videmus historicas theorias simplicem humanitatem non semper respicere.

Quod ad amatorias rationes pertinet, certe historia Petri pastoris non præbet exemplum ardoris, quo duo homines coniungi possunt. Et vidimus hos mores nuptiales illo tempore fuisse solitos. Quid ergo ? Quarto decimo sæculo, cum vita miserabiliter sustentetur, cum homines alias res habeant curandas, cum ubique imminent pericula, potestne tamen fieri ut corda a Cupidine tangantur ? Fieri potest, ut patet ex archivo nostro inquisitorio.

Cupido in vico Montis Alionis habet faciem... parochi. Petrus enim Clerici, parochus, et ipse hæreticus, multis illecebris ornatus est. Codex noster ei duodecim amicas assignat, nec certe omnes in eo memorantur. Inter alias : Sclarmunda eius fratria, Grazida, quæ historiam suam nobis mox est narratura, et Beatrix domina castelli, quæ duos parochos amat (id est : unum post alterum...).

Ergo illo tempore sacerdotum... non dicam doctrinæ, sed potius lepores, a feminis videntur æstimari. Nec sine causa : nam inter rudes agricolas, parochus est solus, qui mulieres sciat comiter tractare, solus, qui sit lepidus, dulcis, urbanus, suavis, insuper relative doctus.

Certe in vico nemo nescit Petrum Clerici esse mulierosum. Sed omnes indulgent, etiam mariti, ut patet ex historia Grazidæ. Grazida a sacerdote deflorata est cum esset quattuordecim quindecim annos nata : « Rector ecclesiæ venit ad domum matris eius, quæ erat tunc in messibus, et sollicitavit ipsam ut permetteret se

carnaliter cognosci ab eo, et ipsa, ut dixit, consensit, quæ tunc, ut dixit, virgo erat, et poterat esse XIV vel XV annorum vel circa, ut sibi videtur »⁷ – nam, ut iam diximus, notio temporis est satis incerta. Sic inita est longa consuetudo, quæ ne matrimonio quidem puellæ interrupta est : « Sacerdos, sciente et consentiente dicto viro suo, frequenter et per quattuor annos quibus dictus maritus eius vixit, eam carnaliter cognovit. Et quando maritus ipsius interrogabat ipsam quæ loquitur num dictus sacerdos rem secum habuisset, ipsa respondebat ‘sic’, et maritus dicebat ut custodiret se ab aliis hominibus nisi a dicto sacerdote », i.e. nullum alium amantem tolerare paratus erat nisi sacerdotem. Causa huius exclusoriaæ permissionis in eo est, quod haud facile resistitur Petro Clerici, non solum parochiali dignitate ornato, sed etiam orto e potenti familia, quæ vici habendas tenet.

Grazida in inquisitorio iudicio ab episcopo interrogatur, num in adulterio se peccavisse senserit. Eius responsum, quamquam ipsa nulla carmina legit, nec legerre scit, Occitanos poetas redolet, qui, in *Breviario amoris* exempli gratia, canunt omnem amorem esse extra culpam. Grazida enim candida simplicitate inquisitori explicat nullum fuisse peccatum, « quia et sibi placebat et ecclesiæ rectori », sed si postea concubere perrexissent, id est postquam, nonnullis annis transactis, uterque paulatim defatigatus esset amando, tunc futurum fuisse peccatum. Sancta simplicitas !

Amores Petri et Grazidæ apparent ut pallida imago alterius historiæ, quæ viginti annis ante, id est anno circiter 1300, primas egerat in Montalionium sermonibus : loquor de eiusdem parochi amore in Beatricem, nobilem castelli dominam. Sed hæc aliaque in proximo fasciculo. ■

1. Vide Melissæ fasciculum 126, pp. 10-11.

2. E. Le Roy Ladurie, *Montaillou, village occitan de 1294 à 1324*, Paris, Gallimard, 1975, secunda editio 1982, p. 242.

3. Etsi hoc vocabulum non commemoratur in Cangii lexico, « bordo » inest et Francogallice scientes statim intellexerunt « bordoneiare » significare « volitare sicut bordo », id est sicut fucus. Paucis lineis post legitur « bastardus », id est « nothus ». C. du Fresne Sieur du Cange, *Glossarium mediae et infimae Latinitatis*, Parisii, 1883, impressio anastatica Arnaldo Forni Editore, 1981, I, p. 596, 707.

4. *Le Registre d’Inquisition de Jacques Fournier, évêque de Pamiers (1318-1325)*, manuscrit latin n° 4030 de la Bibliothèque vaticane, édité par Jean Duvernoy, Toulouse, 1965, 3 vol., III, p. 241.

5. *Op. cit.*, II, p. 441-442.

6. *Op. cit.*, I, p. 221.

7. Hæc et sequentia : *op. cit.*, I, pp. 302-305.

DE LATINITATE ORIENTALI (II)

- *scripsit Gaius Licoppe -*

Dacia Romana

SECVNDA PARS : PRIMVM MILLENNIVM POST CHRISTVM NATVM

Supra dictum est Romanos, exeunte secundo millennio a.Ch.n., omnes regiones Balcanicas usque ad Danuvium in dicionem suam redegissem. Lingua Latina in usu est a mari Hadriatico ad Pontum Euxinum et a montibus Carpathis ad Pindum in Thessalia.

Ultra Danuvium floret potens Dacorum regnum, quod expugnare Cæsar, Augustus et Domitianus in animo habuerunt, Traianus demum valuit.

De historia Geto-Dacorum regni tantum per autores antiquos aliquid scimus ; præcipui tamen fontes perdit sunt : Traiani commentarii, Getica Critonis et Getica Dionis Chrysostomi.

Augustus prudenter maluerat fœdus cum rege Cotiso facere.

Domitiano imperatore, Moesiæ præfector, Oppius Sabinus, expeditionem in Daciam duxit, sed victus et captus est. Altera expeditio, duce Cornelio Fusco, non melius successit. Tandem anno 89 p.Ch.n. Tettius Iulianus apud oppidum *Tapae* Dacos vincere valuit, quorum tamen regnum non delevit.

Dacorum ultimus rex, Decebalus, populum incitat ut cultum Romanum sibi assumat, censens Romanos hoc tantum modo vinci posse. Idem bonum exercitum habet atque urbem caput Sarmisegethusam bene munivit. Cum Moesiæ Romanæ imminere perget, Traianus eum aggredi statuit. Roma anno 101 profectus, exercitum trans Danuvium traducit. Post incertum proelium apud oppidum *Tapae*, ad Danuvium hiemat atque anno 102 Decebalum iterum aggreditur. Sarmisegethusa capta, rex victus cogitur præsidia Romana accipere. Sed, dum Traianus Romæ triumphum agit, Decebalus de pace violanda iam cogitat ; anno 105 Iazyges aggredi-

tur et præsidia Romana obsidet. Traianus accurrit præsidiaque liberat ; anno 106 Danuvium traducit per novum magnumque pontem, quem clarus architectus Apollodorus Damascenus modo exstruxit, et Sarmisegethusam iterum capit. Decebalus victus sibi mortem consciscit. Traianus ingentem auri argenteique copiam Romam secum reportat et curat ut sine mora auri salisque fodinæ erui pergaunt. Tropæum Traiani erigitur ad oppidum hodie *Adamklissi* vocatum.

Dacorum regnum fit provincia Romana, cui nomen datur Dacia Ulpia Traiana ; etiam vocatur Dacia Superior, cuius Sarmisegethusa manet urbs caput. Postea imperator Marcus Aurelius hanc provinciam in tres partes dividit : Malvensem, cui urbs princeps Malva (hodie *Roccari*), Apulensem, cui urbs princeps Apulum (hodie *Alba Iulia*), Porolissensis, cui urbs princeps Napoca (hodie *Cluj*).

Bello Traiano multi Daci masculini sexus necati sunt ; alii emigrant ; Daci rebellantes supersunt etiam tempore imperatorum Antonini Pii et Commodi. In provincia Daciæ Ulpiae Traianæ creantur quadraginta quattuor urbes. Multi undique adveniunt coloni, qui villas rusticæ instruunt. Aquæductus, thermæ, fora, templæ, amphitheatra ædificantur. Sarmisegethusæ amphitheatum duodecim milia spectatorum accipere potest. Exercitus Romanus augetur quindecim alis e Dacis constantibus. Inventæ sunt 2.628 inscriptiones temporis Romanæ administrationis, quibus confirma-



Traianus, cum incobatur alterum bellum Dacicum, sacrificat ante magnum pontem ab Apollodoro Damasceno in Danuvio nuper factum (columna Traiana).

tur totam provinciam cultum linguamque Romanorum suam fecisse. Nonnulli Daci etiam magnis muneribus in imperii administratione funguntur.

Ne duo quidem sæcula Dacia in Romanorum dictione manet ; anno enim 271 imperator Aurelianus hanc provinciam relinquere statuit. Exercitus, administris necnon Romani possessores villarum rusticarum transferuntur infra Danuvium. Postea tamen vita in urbibus et agris pæne immutata manet, id quod archæologicis effissionibus demonstratur.

Post finem administrationis Romanæ per complura sæcula, i.e. a tertio usque ad decimum sæculum, fontes historici desunt ; etiam Byzantini historici nos vix quicquam docent de his regionibus. Feliciter effossiones archæologicæ intra proximum semisæculum factæ perutiles informationes afferunt.

Ineunte quarto sæculo, imperator Constantinus duos pontes supra Danuvium exstruendos curat, quia, ut videtur, de reditu in Daciam cogitat.

Quarto sæculo barbarorum impetus in imperii limites frequentiores et graviores fiunt. Anno 376 Visigothi, ab Hunnis fugati, imperii hospitalitatem petunt ; ducenta milia eorum accipiuntur in Mœsiam. Qui paulo post rebellant atque in proelio apud Hadrianopolin imperatorem Valentem vincunt necantque.

Theodosius, ultimus imperator qui totum imperium Romanum gubernat, limitem ad Danuvium restituit, sed statim post eius mortem, anno 395, Visigothi, duce Alaric, iterum irrumunt in Macedoniam atque Græciam populantur.

Multo terribilior est Hunnorum impetus, quem anno 441 dicit Attila. Isti feroce barbari expugnant Viminacium, Singidunum et Naissum in Mœsiâ, Sirmium in Pannonia, Apulum, Napocam, Porolissum, Potaissam et Sucidavam in Dacia atque omnia incendio delent. Post eorum irruptionem vita disparat in his urbibus ; earum nomen antiquum in oblivionem venit, rivorum tamen nomina servantur.

Christianismus aliquid contulit ad Latinitatem in regionibus Danuvini servandam et propagandam. Iam exeunte primo sæculo, in Scythia Minore, apostolus Andreas Evangelium prædicavit, ut legitur apud Eusebium Cæsariensem in Historia Ecclesiastica (III, 1,1-3). Quamquam Andreas factus est protector Dacoromanorum, non videtur tunc temporis multos homines convertisse.

Vera christianatio non incohatur ante quartum sæculum, i.e. post religionem Christianam imperii religionem factam, et præsertim efficitur quinto sæculo. Re vera Dacoromanorum origines Christianæ sunt parum perspicuae ; scimus tamen eos catechismum



Decebalus victus mortem voluntariam sibi consciscit (columna Traiana).

Latine accepisse. Multæ sedes episcopales tunc creantur ; sanctus Niceta, exempli gratia, fuit episcopus civitatis Remesanæ infra Danuvium sitæ. Wulfila (311-383), episcopus Arianus Durostori, ad Gothos christianizandos Novum Testamentum in sermonem Gothorum vertit.

Quinto sæculo vergente Ostrogothi, Duce Theodorico, in Imperium Orientale irrumunt et Macedoniam populantur, sed imperator Zeno Theoderico suadet ut Italia potius potiatur.

Sexto sæculo imperator Iustinianus exercitum trans Danuvium iterum traducit et Daciam partim recuperat. Non diu tamen.

Nam inter sextum et octavum sæculum adfluunt Slavi. Qui anno 602 limitem Imperii Orientalis transgrediuntur ; multa Romana oppida tunc delentur ; solum urbes ad litus Ponti Euxini sitæ resistere valent, auxilio frumentos classis Byzantinæ. Hæc frequentissima invasio partim propellit romanizatos incolas, quorum territorium ex Dacia, Pannonia Inferiore et duabus Mœsiis constans sic in duas partes dividitur. Slavorum immigratio in Daciam pedetemptim et pacifice facta est ; cohabitatio ad Slavorum assimilationem duxit, sed Dacoromani ab eis sumpserunt artificia, instrumenta et multitudinem vocabulorum de agricultura, vita politica, cærimoniis et nominibus locorum, viorum mulierumque.

Antiquissimum monasterium Dacoromanæ est in Scythia Minoris oppido Dervent. Quod oppidum vide-


tur iam primo sæculo p.Ch.n. exstitisse, sed eius nomen ignotum est ; *Dervent* sexto sæculo appellatum est a Slavis.

Lingua Latina unitatem suam in imperio Romano perdit quinto sæculo. In regionibus Balcanicis linguæ Latinæ mutatio incohatur ante contactum cum vetere lingua Slavica. Hæc mutatio ibi celerior videtur fuisse, quia lingua Latina magis seclusa est, postquam, Heraclio imperante (610-641), lingua Græca loco Latinæ adhibita est in imperio Orientali. Græcus historicus Theophylactus Simocatta anno 587 testatur gentes infra Danuvium tunc Latine loqui.

Notandum est nomen quo appellabantur incolæ Latine loquentes, « Romani » scilicet, paulatim « Român » factum, non trahi e nomine cuiusdam regio-

nis vel gentis, sed ex eorum lingua. Extranei hos Romanos vocabant « Vlahos » vel « Valahos », unde postea regio, quam incolebant, « Valachia » vocata est.

Dacoromani vocantur ei qui in finibus hodiernae Dacoromaniae vivunt. Aromani vocantur ei qui extra fines vivunt ; pauci supersunt in Græcia, Macedonia et Albania. Exstat etiam dialectus Megleno-Romanica in Macedonia et Bulgaria (5000 locutorum) et dialectus Istrio-Romanica (aliqui centeni locutores). Hi omnes sermones easdem linguæ Latinæ mutationes ostendunt, unde patet linguam Daco-Romanicam ortam esse tempore quo Latine loquentes in regionibus Balcanicis nondum erant divisi. Lingua communis illius temporis a linguistis vocatur Romanica Balcanica vel Romanica primitiva vel proto-Romanica. ■



Hic ostenditur limes inter Latine et Græce loquentes.




Provinciae Romanæ tempore Traiani.

DE QVANTALIS PHYSICÆ FVNDAMENTIS ALIQVOT (I)

– *scripsit Stephanus Berard –*

DE BINARVM RIMARVM EXPERIMENTIS DEQVE VNDARVM PARTICVLARVMQUE RATIONE RECIPROCA

Si electroniorum photoniorumve flumen ad sæptum dirigitur in quo incisæ sunt rimæ parvæ duæ, illæ ex particulis quæ rimas permeant super quadro (televisione quadro simili) post sæptum posito ut scintillulæ perceptæ electronice referuntur. Non autem particularum sed potius undarum vestigia relinquunt. Scilicet ingredientia entia quantalia intercessionis striaturas (vide Tabulam I) designant eis similes quas efficiunt et lucis et soni et aquæ undæ. Intercessionis striaturæ eo exoriuntur quod undarum frontes inter se offendentes alia aliam hic corroborant hic debilitant prout undarum concurrentium culmina et fossæ aut inter se congruant aut discrepant. Ex quo eveniunt undariæ actionis figuræ impressæ hic validæ hic leves... sive hic lucidæ hic obscuræ. Cum subatomicæ magnitudinis entia legibus quantalibus proxime subiecta sint, in entibus talibus repugnantia undaria animadversa « repugnantia quantalis » denominatur.



Tabula I

Quam particularum actionem undiformem maxime admirati sunt ei indagatores qui experimenta hæc prium peregere, utpote qui particulas temere se projecturas exspectavissent. Si enim particulæ pilulæ exiguisimæ fuissent, binas tantum pone quamque rimam punctorum consipitationes reliquissent; nam ars physica translaticia particulas et undas inter se funditus differre docebat. Magis autem sollicitabat quod hæ novæ undæ, contra ceteras undas cognitas, per nullam substantiam corporalem continuabantur. Nempe in aeris aequalibusque undis non propelluntur particulæ singulæ, quin potius undæ tales sunt totius substrati corporalis propria manifestata in quibus molecula quæque gyrum tantum sive cursum circularem describit. Novum autem undarum genus hoc haudquam tali modo per aerem propagari constabat, ac nullum

existare « æthera », sive substratum universale summe subtile plurimis modis iam dudum demonstratum erat, insignissime forsan anno 1887 ab Alberto A. Michelson et Edvardi W. Morely.

Cui addatur quod intercessionis striaturæ hæ novæ, ceterarum undarum striaturis intercessionalibus contrariæ, etiam tum efficiebantur cum particulæ tantum singillatim proiciebantur. Scilicet particula quæque « scire » videbatur, ut ita dicam, non solum quæ facerent « æquales » per alteram rimam simul currentes sed etiam quæ iam fecissent antea projectæ ac quæ, mirabile dictu, facturæ essent eæ particulæ quæ nondum essent projectæ !

Subsequis in binarum rimarum experimentis, quæ multis in locis plurimis ab investigatoribus peracta sunt, altera ex rimis obsæpiebatur. Eventus fuit et mirabilior; nam, clausa altera ex rimulis, nullæ prorsus apparebant striaturæ. Quo videbantur particulæ non iam undarum ritu pergere sed velut particulæ illæ piliformes initio quas exspectaverant physici. Enimvero videbatur particulæ proprietas undaria eo deleri quod, altera obstructa rimula, particula unam tantum per rimulam transcurrere poterat, quamquam ipsa rima semper satis ampla erat ut undæ particularis amplitudinem (« Broglianam » dictam) caperet. His in « singularum rimarum » experimentis spatium semper post rimulam positum ita punctis sive « ictibus » implebatur tamquam si pilulæ omnino liberæ fortuito iniectæ essent. Videbatur scilicet ens projectum quodque particulæ assumere formam non quia rimula unica undam in formam particularem coiceret sed potius quia entis cursus non iam ambiguus manere poterat.

Proximo in experimentorum gradu ambabus rimulis apertis apponebatur detectrum ut sciretur iam semper utram per rimulam volavisset particula quæque. Quo facto, intercessionis striaturæ adhuc deerant. Quamvis tot iterum transient particulæ quot in binarum rimarum apertarum experimentis prioribus, particulæ re vera a forma undaria in formam particularem conversæ videbantur tantummodo quod cuiusque particulæ cursus nunc certo sciebatur. Particularum ratio agendi ab hominum conscientia pendere videbatur !

Tandem constitutum est, si experimenti cuiuspiam condiciones entia transeuntia alteram ex binis rimis « eligere » cogerent, hæc entia particularum more semper se gerere; si autem inter binas rimulas maneret « eligendi » facultas, entia naturam undariam retinere; eiusdem semper formæ entium flumen rationem tamen agendi suam secundum experimenti condiciones immutare. Illa videlicet entia quorum status ignotus sive non observatus erat per ambas transibant rimulas

sicut undæ, illa tamen quorum status observabatur particularum sive « pilularum » modo per unicam semper transibant rimulam. Hic entium subatomicorum duplex vultus, « complementaritas » vel forsan Latinus « ratio reciproca » sive « reciprocatio » nominandus, iamdiu pro physicæ quantalis fundamento habetur. Mirum autem dictu, anno 1992 monstravere experimenta in Iaponia peracta entis unici naturas undalem et particularem *eodem quoque tempore* observari posse, scilicet has naturas, quamvis omnino alias, inter se tamen non mutuo excludere – id quod, sicut pleraque quantalia, mentis captum exsuperat. Idem igitur ens modis simul diversis animadversum ambas naturas inter se incongruentes ostendit. Omnis entis natura semper ex animadversionis modo dependet, etiam si idem ens simul duobus modis animadvertisit.



Tabula II : Albert Einstein

DE QVANTO DEQVE RATIONE CONSTANTI PLANCKIANA

« Gradus quantalis » est illud realitatis corporalis fastigium sive ille magnitudinis relativæ gradus in quo regnant principia quantalia, a quo fastigio graduve dif-ferunt funditus et « gradus microscopicus maior » et « gradus macroscopicus » in quibus, prout sensim amplificatur magnitudinis multiplicatatisque conspec-tus, quantalis actio difficilius difficiliusque percipitur magisque valere videtur mechanica classica Newtoniano-Einsteiniana. Particulæ subatomicæ omnes, ut regno quantali proxime subiectæ, motibus semper subitis disiunctisque agunt. Cuius rei haud scio an optimum præbeant exemplum electronia atomi nucleus circumdantia, nam hæc statuum energetico-rum numerum tantum valde circumscripsum occupare valent. Si electronium in statu devincto eoque certo versans vim sive energiam accipit aut perdit, photonum simul aut absorbet aut emittit. Hac in disputa-tione maximi est momenti quod electronio cuique cer-tissimos tantum status quosdam sive « testas » quasdam

prorsus finitas occupare licet quarum copia energetica exacte præscribitur secundum summam quandam ener-geticam quam minimam, « Quantum » vocatam, quæ in cosmo nostro ad res agendas in promptu est. Scilicet nullos licet electronio status « intermedios » occupare, et inter binos status quospiam *transit semper illico conti-nuoque et sine mediis gradibus ullis*.

Hoc Quantum, quod primum ab Alberto Einstein est nominatum, actionis corporalis monas quam mini-ma est quæ *h* signo exprimitur « Constanti »que « Planckiana » definitur ob Max Planck physicum Germanum qui huius valorem numeralem immutatum primus ratus est. Propter relativitatem, hoc est, propte-re aquod spatiū et tempus et vis ex æquo aspectus sunt eiusdem unici substrati spatialis/temporalis/ener-geticī, Constans Planckiana varie exprimi potest, verbi gratia ut vis pura (6.626×10^{-27} ergosecundis sive 10^{-28} electroniorum Voltis) vel ut longitudo (10^{-33} centime-tris) vel ut diurnitas (10^{-43} secundis) vel ut moles (10^{-5} grammatibus). Quantales eventus entiaque quantalia, omnia tam incredibiliter, immo prorsus infingibiliter parva sunt ut atoma moleculæque cum his comparata adeo ingentia videantur.

Supradictis ex experimentis nempe statutum est undarum particularumque rationem reciprocā alium tantum esse aspectum sive aliam expressionem huius phænomenorum quantalium proprietatis « disiunctivæ » sive reciprocæ.

DE DILATÆ OPTIONIS EXPERIMENTIS DEQVE SYMMETRIA TEMPORALI

In dilatæ optionis experimentis investigator, *post-quam omnes particulæ sæptum iam transiere*, constituit aut binas rimulas apertas relinquere aut alteram earum claudere. Eventus tamen semper eidem sunt qui in experimentis supra descriptis. Videtur igitur ipsum investigatoris consilium singularis particulæ cursus exacti aut animadvertisendi aut neglegendi definire non solum quo itura sit cursu particula quoque modo se sit in futuris manifestatura, sc. utrum ut undam an ut particulam, sed etiam definire videtur *quo iam antea ierit cursu ac quomodo se præterito manifestaverit tempo-re!* Qui eventus plane maximi est momenti, etsi, ut vera dicam, quadamtenus iam ante hæc experimenta peracta comprehendendi potuisset per principium physi-cum symmetriæ temporalis, quod quidem relativitatis fundamentum iam pridem fuerat. Immo vero in dies magis confirmatur symmetria temporalis ex processi-bus quantalibus in experimentis recentibus animadver-sis, quamvis multi diu eam magis pro theorica quam pro vera habuerint. Locutio quæ est *symmetria tempo-*

ralis spectat ad effecta relativistica necnon ad primas interactiones physicas complures, inter quas et omnes fere quantales interactiones, quæ intra quartam dimensionem non in unicam tantum partem sed contrarias in partes peraguntur. Hoc est, per id quod nos « tempus » dicimus et prorsum et rursum « simul » diriguntur. Perinde ac symmetria temporalis sensim innotescit, dilatae optionis experimentorum eventus minus videntur mirabiles, quamvis plane notatu maneant perdigni. Etenim si tales interactiones per tempus evolvuntur semper utroque, hoc est, si hoc in fastigio physico primo inter « progressum » et « retrogressum » nullum exstat discrimen absolutum antepositumque, causalitas quoque, hoc saltem in rerum gradu, utroque fluat necesse est. Si ens subatomicum quodpiam propter observationis gradum et modum statum accipit « particularem » et si hæc ipsa status per animadversionem attribuendi actio rationem agendi « particularem » postulat undaramque interdicit, haud mirum est si, valente in fastigio subatomico symmetria temporali, tales condiciones et per quartam dimensionem utroque exiguntur. Si ens subatomicum ad aperturam particula esse constituitur, hæc ipsa constituendi actio sub symmetria temporali efficit ut ex electroniorum sclopeta (vel e photoniorum fonte) particula demum, potius quam unda, « antea sit projecta ». Qui eventus, quamvis sat mirabilis, quod tamen attinet ad leges physicas quæ vigere videntur, pro legitimo habendus est.

Accepto symmetriæ temporalis principio, causalitas retroversa, id quod iam diximus, nostram minus percudit mentem quam investigatorum talia primum sentientium ; si autem studium nostrum imprimis non in hoc sed magis in id intendimus quod ipsa actio ipseque modus observationis decernunt entia subatomica undæne an particulæ sint (et fuerint), hanc rem diversis ex catenæ temporalis partibus scrutari haud inutile videtur quippe cum cognoscere velimus utrum experimentorum eventus animadversi processum quantalem genuinum temporaliterque symmetricum re vera indicent an effectum tantum aliquem temporaliter asymmetricum atque epiphænomenicum. Si ipsum observationis modum entis subatomici naturam, seu undariam seu particularem, destinare demonstraverimus, ac præsertim si observationis modus *extra ipsum* entis subatomici tempus traectoriale constitui approbaverimus, confirmabitur observationis modum primam unicamque esse actionis causam in eventuum catena temporaliter bivia. Scripsere Davies et Gribbin :

« Possit aliquis a quadri photographici loco ad sæpum respicere ut utram per rimulam intraverit particula quæpiam comperiat. Alterna autem optione possit



Tabula III : Max Planck

homo non respicere, id quod intercessionis striaturarum figuram solito modo increscere sinat. Ipse scilicet investigatoris arbitratus, quem exercens *tempore illo quo quadrup photographicum particulas singulas excipit* aut respicere aut non respicere statuit, definit utrum lux particularum an undarum modo se *gesserit* momento priore, hoc est, eo tempore quo per primi sæpti sistema rimularum transibat. » Talis causalitatis temporaliter remotæ exempla maiora quærentibus notandum videtur Ioannis A. Wheeler experimentum excogitativum illud « Lentis Galacticae », cum causam posteriorem anteriore ab eventu annorum billionibus disiungat. Quod experimentum multifariam describitur. Hoc loco sufficiet hæc dicere. Cum per relativitatem generalem Einsteinianam vis gravitatis lucem inflectat, quæsis lux eximie fortis præter galaxiam aliquem medium ad nos appropinquans ad eius galaxiæ ambo latera simul flecti possit. Cuius lucis radii duo separati secundum doctrinam iterum coniungi possint ad lucis intercedentis experimentum instituendum in quo ambo cursus præter galaxiam effecti pro duabus illis fungantur rimulis experimentorum solitorum. Speculis semiargentatis (sive « unius viæ » speculis) nixus valet indagator comperire quæ photonia præter utrum galaxiæ latus, sc. particularum more, perexerint. Quod faciens ictus usque casu factos sineque formula certa animadvertisat. Nullo autem adhibito speculo univio, lucem advenientem ambos per cursus iter fecisse cognoscet, scilicet undaria (nec particuli) forma, effectis nunc intercessionis striaturis undariis. Iterum igitur fit ut modus animadversionis posterior res prius factas non solum comperiat sed destinet. Tales Lentis Galacticae experimenti excogitativi eventus ac significaciones minus reddet mirabiles disputatio de « localitatis defectu » quæ alia in symbola explicabitur. Quantalis enim disciplina locum spatiumve postulat exstare prorsus nullum ! ■

In hoc fasciculo !

Normannorum vestigiis ingredientes... [G. Licoppe] p. I

De Horatii villa [G. Licoppe] p. 3

 *Flosculi Erasmi (VII) [A. Vanautgaerden] p. 7*

Beatrix et eius amici (IV) [F. Deraedt] p. 9

De Latinitate orientali (II) [G. Licoppe] p. II

De quantalis physicæ fundamentis aliquot (I) [S. Berard] p. 14

Imago tegumenti : Hydruntum, pavimentum ecclesiæ cathedralis sæculo duodecimo confectum ab aliquo monacho Basiliano : Adam et Eva e paradiſo expulsi.

INSTITVTIO LINGVÆ LATINÆ



a Melissa præbetur omni Mercurii die ab hora 18 ad horam 19.30 in Museo Domus Erasmianæ (31, rue du Chapitre, 1070 Bruxelles). Si quis plura scire cupit : tel. + 32 (0) 475.47.55.18, g.licoppe@skynet.be



CERTAMEN IVLIANVM II

Omnibus lyceorum discipulis hoc certamen proponitur, quod Romæ celebrabitur Idibus Martiis a. MMVI. Petitor, qui opusculo vel prosa vel astricta oratione composito Certamini interesse cupiat, sibi ipsi novum seligat argumentum, ad huius ætatis vel res pertinens si vult, de quo Latine agat. Si quis plura scire cupit de condicionibus præmiisque : Certamen Julianum, Liceo « Giulio Cesare », Corso Trieste, 48 - I-00198 Roma.